



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Concilivm Coloniense, Svb Praesidio Conradi Episcopi Cardinalis
Portuensis, & sanctae Rufinae, sedisque apostolicae legati, contra
simoniacos & concubinarios clericos celebratum, anno Domini MCCXXV. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

CONCILIVM COLONIENSE,

ANNO
CCCLXV
1225

SVB PRÆSIDIO CONRADI EPISCOPI CARDINALIS
Portuenſis, & sanctæ Rufinæ, sedisque apostolicae le-
gati, contra simoniacos & concubinarios clericos ce-
lebratum, anno Domini MCCXXV. IV. Idus Decem-
bris, tempore Honorii papæ tertii.

TITVL CAPITVLORVM.

- I. De continentia clericorum.
- II. De pœnis concubinariorum cle-
ricorum.
- III. De scortatoribus clericis rura-
libus per archidiaconos corrigen-
dis.
- IV. Quam pœnam iudex ecclesiastि-
cus, aliquem preopere excom-
municans, incurrat.
- V. Clericos fructus prebendarum
suarum concubinis & spurii
suis relinquere non posse.
- VI. De clericis excommunicatis vel
suspensis diuina celebrantibus.
- VII. De clericis coram excommu-
nicatis celebrantibus.
- VIII. De publicandis excommu-
nicatis per episcopos.
- IX. De patronis laicis clericos ad
ecclesiæ simoniæ praesentati bus.
- X. De clericis simoniæ repre-
sentatis.
- XI. De episcopis & archidiaconis
clericos simoniæ praesentatos in-
ſtituentibus.
- XII. De ecclesiis non per mercena-
rios, sed pastores, seu saltem vi-
carios perpetuos regendis.
- XIII. De committentibus ince-
ſtum cum sanctimonialibus &
canonicis, & de eiusmodi sacru-
virginibus pollutis.
- XIV. De his constitutionibus con-
ciliaribus publicandis.

*Conradus miseratione diuina Portuenſis & sanctæ Rufinæ epi-
scopus, apostolice sedis legatus, uniuersis Christi fidelibus, ad
quos præsens scriptum peruererit, salutem in Christo Iesu.*

CAPITVL A.

I.

LICET multa super continentia clericorum
sanctorum patrum haec tenus emanauerint in-
stituta, quia tamen adhuc nonnulli clerici lumbos
suos cingulo continentiae, ut accipimus, non præ-
cingunt, in animæ suæ periculum & scandalum
plurimorum, non attendentes quoniam scriptum
est:

ANNO
CHRISTI
1225. est: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Deus ve- z Lexit. II.

ster: nos qui nunc demum circa horam vndecimam
missi sumus, vt nocua de vinea Domini sabaoth ex
officio nobis iniuncto, quantum ipse dederit, ex-
tirpemus, quia zelus nos comedit domus eius, hu-
ius sacri approbatione Concilii duximus statuen-
dum. Præcipimus igitur, vt clerici continenter &
caste viuere studeant vniuersi, & maxime in ordi-
nibus sacris constituti, quatenus in conspectu Dei
omnipotentis puro corde & mundo corpore va-
leant ministrare.

II.

Si quis autem clericorum deinceps fuerit depre-
hensus incontinentiae vitio laborare, detinendo
publice concubinam, nisi post admonitionem ca-
nonicam illam a se prorsus expulerit, extunc tam
beneficio quam & officio spolietur. Si vero nec
sic factorem suæ libidinis curauerit euitare, quia
crescente contumacia crescere debet & poena, a-
nathematis sententia feriatur. Qui vero obsecenis
voluptatibus inhiantes concubinas usque ad hæc
tempora publice tenuerunt, ne delictum præteri-
tum transeat impunitum, eos sub pœnitentiam du-
ximus redigendos: vt, si canonici fuerint, quadra-
ginta diebus in claustris suis in quadragesimali cibo
ieiunent. Si autem hæc agere contempserint, præ-
positis & decanis & capitulois ecclesiarum sub ana-
themate prohibemus, ne præbendarum fructus eis
ministrent, nec ad chorum vel ad consortium ca-
pituli eos admittant, nisi incepta dicta pœnitен-
tia & peracta, & præstito iuramento, quod eas vl-

Concil. Tom. 28.

LI

terius non resumant. Qui vero remotas resumere
præsumperint, decreuimus eos beneficiis esse pri-
uatos, vt illi, ad quorum collationem eorum bene-
ficia pertinent, ea idoneis personis assignent intra
tempus in generali Concilio comprehensum: alio-
quin proximus superior extunc ea studeat assigna-
re. Si vero decani, vel alii eorum confratres, exces-
sum eorum scientes dissimulare præsumperint,
eos denuntiamus excommunicationis vinculo sub-
iacere.

III.

De clericis ruralibus concubinariis expressus ri-
gor superius obseruetur: quorum archidiaconi, si
eos in iniuitatibus voluerint confouere, vel eo-
rum dissimulare excessus, sciant ab officio se sus-
pensos: & si in suspensione permanerint, eos præ-
cipimus per episcopos suos a dignitatibus remo-
ueri: quæ dignitates per eosdem episcopos, vel a-
lios, ad quos eorum spectat collatio, personis ido-
neis assignentur.

IV.

Cap. 1. de
fent. ex-
com. in 6.

Quantæ temeritatis & præsumptionis existat,
quod qui seruare debent canonicas sanctiones, in
quibus aperte continetur quod nullus aliquem
sine rationabili causa excommunicare præsumat,
eas frangere non formidant; plures non amore iu-
stitiae, sed liuore odii, vel fauore aduersariorum,
excommunicationis vinculo innodatos, nullus
prositus ignorat. Quare firmiter prohibemus, ne
in aliquem excommunicationis sententiam, nisi
competenti admonitione præmissa, & præsenti-

ANNO
CHRISTI
1125.
bus personis idoneis, per quas, si necesse fuerit, pos-
sit probari admonitio, promulgare præsumat: & si
prælatus contra hoc fecerit, & admonitus errorem
suum non reuocauerit, per mensem ab ingressu ec-
clesiae sit exclusus.

V.

Ad abolendam de domo Domini consuetudi-
nem, vel potius corruptelam seu temeritatem, qua Cap. Quia
clericis, (qui signum pudicitiae debent ostendere nos, & cap.
laicis, quibus positi sunt in exemplum) in argu- Relatum,
mentum finalis suæ impoenitientiae , fructus præ- de testam.
bendarum suarum concubinis vel spuriis suis le-
gant in ultima voluntate, contra eos rigor ecclesi-
sticus exerceri debet. Quare sub anathemate pro-
hibemus, ne de cetero clerici gratia testandi abu-
tentes, cum de rebus ecclesiæ nullum possint con-
dere testamentum , fructus beneficiorum ecclesi-
sticorum spuriis suis vel concubinis suis dimittant.
Qui vero contra hanc inhibitionem venire præ-
sumperint,in signum suæ perditionis ecclesiastica
careant sepultura: & quibus taliter fructus legan-
tur, eis careant ipso iure. Qui autem testamen-
tum tale manutener voluerint, & per quorum ma-
nus personis illis fructus præbendæ fuerint mini-
strati , ipso facto sciant se excommunicationis vin-
culo innodatos : & quamdiu fructus huiusmodi
contra hanc institutionem ministrati fuerint,eccle-
sia ipsa sit sub interdicto posita.

V I.

Cum scriptum sit in lege veteri, quod quicum- Dm. 17.
que non obtemperasset sacerdotibus, aut extra po-

Concil. Tom. 28.

L 1 ij

situs lapidaretur a populo , aut gladio ceruice sup-
posita expiaret cruore contemptum ; & in primi-
tiua ecclesia inobedientes cuncti de ecclesia rabi-
do * ore dæmonum traherentur ; multi nomine sa-
cerdotes, censuram ecclesiasticam contemnentes ,
excommunicati vel suspensi a prælatis ipsorum, exi-
gentibus culpis suis, & immemores quod episcopis
& prælatis clauium regni cœlestis collata sit pote-
stas , attractare sibi interdicta mysteria non veren-
tur : contra quos rigorem ecclesiasticum volumus
exerceri. Statuimus igitur ut tales , sine spe restitu-
tionis, ab officiis & beneficiis deponantur , & infam-
es & intestabiles sint , & de cetero ad beneficia
ecclesiastica nullatenus admittantur, nisi per pœni-
tentiam approbatam & * conuersionem laudabi-
lem sedis apostolicæ gratiam meruerint obtinere.

V I I.

Præterea sunt nonnulli , qui crassam præten-
dentes ignorantiam , (quæ cum non excusat a cul-
pa, nec eos a poena poterit excusare) coram his di-
uina celebrare præsumant qui excommunicatio-
nis vinculo sunt innodati, dicentes quod eis ex-
communicatio nec per literas, nec per nuntios fue-
rit nuntiata , cum ipsi excommunicati impediant
sæpe ne possit ad eos denuntiatio vel citatio perue-
nire, vel malitiose se occultent : & cum talis sit me-
rito contumax censendus, statuimus ut postquam
tales excommunicati fuerint, & in vicinis locis pu-
blice denuntiati, sacerdos qui coram eis celebraue-
rit, simili poena puniatur.

Si episcopus aliquem excommunicauerit certa de causa, denuntiet vicinis episcopis per suas patentes literas, ut excommunicatum denuntiari faciant, & euitari: & tunc sine difficultate aliqua vicini episcopi excommunicatum faciant publice denuntiari, & in diœcesibus suis arctius euitari. Si vero episcopi fuerint negligentes, & excommunicatis scienter communicauerint, tamdiu cathedralium ecclesiarum canonici eis non communient, quamdiu huic salubri sanctioni contempserint obedire.

IX.

Quoniam in quibusdam locis Alemaniæ fundatores ecclesiarum, vel heredes ipsorum, potestate, in qua eos ecclesia hucusque sustinuit, abutuntur, partem decimarum, vel aliarum obventionum ecclesiasticarum, in quibus ius obtinent patronatus, sibi retinentes ex pacto, repræsentant clericos ad easdem: huic vulneri cancroso & simoniaco censuræ ferrum apponimus, decernentes ut ex quo constiterit patronum huiusmodi flagitium perpetrasse, anathemate feriatur, & eius terra supponatur ecclesiastico interdicto, donec ecclesiam liberam cum suo iure dimittat, salvo iure patronatus, quod eis de misericordia reseruamus, qui possunt per iuris excusari ignorantiam.

X.

Qui vero cæca cupiditate ducti, taliter a patronis præsentationem receperint, officio beneficioque priuentur, nec ad beneficium vel actus

L1 iij

270 HONORIVS C O N C I L I V M F R I D E R I C V S II.
P. III.

ecclesiasticos admittantur, nisi cum eis per sedem
apostolicam fuerit dispensatum.

ANNO
CHRISTI
1125

XI.

Episcopi vero & archidiaconi, qui talibus scien-
ter curam animarum commiserint, ab institutione
& collatione perpetuo sint suspensi. Statuimus et-
iam quod nullus clericus ad curam animarum ab
episcopo vel archidiacono admittatur, nisi prius
iurauerit quod nullam in adeptione beneficii, ad
cuius curam præsentatur, commiserit simoniam.

XII.

Quia enormis quædam consuetudo in quibus-
dam Alemaniæ partibus contra canonicas sanctio-
nes inualuit, ut ponantur in ecclesiis conductitiis
sacerdotes vicarii temporales, ne id fiat de cetero,
auctoritate legationis qua fungimur omnibus mo-
dis inhibemus. Sed cum vicarius poni debet & po-
test, perpetuo instituatur, idque assensu & aucto-
ritate diœcesani, & archidiaconi loci illius: nec ei
episcopus vel archidiaconus talem instituat, nisi ei
de bonis ecclesiæ coram eo tantum fuerit assigna-
tum, vnde iura episcopi & archidiaconi possit per-
soluere, & congruam & sufficientem sustentatio-
nem habere.

XIII.

De pœn.
diff. 1. cap.
Si quis. &
in auth. Si
quis, cap.
de episco-
pis & cleri-
cis.

Licet contra nefandos insidiatores sacrarum
virginum pudicitiae pœnæ grauissimæ sint insti-
tutæ tam canonicae quam legales, quidam tamen,
relaxatis voluptatum habenis, in lacum miseræ
& in lutum fœcis se immergunt, vt salutis æternæ
coronam, honestatis normam, earumque pudici-

ANNO CHRISTI 1225. tiam interpellare præsumant : contra quos ner-
uum rigoris apponimus , statuentes ut quicum-
que pudicitiam sanctimonialium,cuiuscumque ha-
bitus , ausu sacrilego solicitare præsumperit , ab
officio , si clericus fuerit ; si laicus a perceptione
corporis Domini nouerit se suspensum. Qui ve-
ro * sacrilegium vel temerarium carnis commer-
cium cum talibus habuerit , ipso facto excommu-
nicationis sententia se nouerit innodatum. San-
ctimonialis vero seu canonica quæ huiusmodi cri-
men flagitiosum perpetrauerit, vltius ad officium
aliquid in monasterio nullatenus admittatur ; sed
in signum iniquitatis suæ vltima tam in clauстро
maneat quam in choro.

XI V.

Quoniam memoria hominum dilabitur cum
tempore dilabente , ne quis ex nostrarum consti-
tutionum ignorantia velamen in posterum excu-
fationis assumat , in virtute sanctæ obedientiæ &
sub pœna excommunicationis districte præcipi-
mus , vt archiepiscopi , episcopi , archidiaconi &
decani , in suo singuli Concilio annis singulis ce-
lebrando eas publicari faciant & seruari , pœnam
transgressoribus infligendo. Quas enim abbates &
alii ecclesiarum & monasteriorum prælati conscri-
bi faciant , & in suis capitulis frequentius publicari,
vt tam ab ipsis quam a suis subditis inuiolabiliter
obseruentur. Acta sunt hæc anno Domini 1225.
quarto Idus Decembris.

NOTA.

* Concilium.] In hanc Synodum Laurentius Surius ita præfatur: Anno nati Seruatoris 1224. Honorius eius nominis tertius pontifex maximus, in Germaniam legatum misit a latere Conradum Eginonis, quondam monachum & abbatem instituti Cisterciensis, sum vero episcopum cardinalem Portuensem & sancte Rufinae, virum doctrina & religione celebrem, & cuiusdam dynastæ filium. Erant enim id temporis in occidente quadam morum corruptela, quas pontifex amoliri volebat: pro ror orientem vexabant Saraceni. Postquam igitur memoratus cardinalis in Germaniam peruenit, Synodum hanc coegit anno 1225. que cum pleraque habeat lectu digna, in gratiam lectoris hic eam adscribere volui mus: idque tantolibetius, quod hoc loco suffulimus opusculum illud tripartitum, parum opportune in superiori editione Concilii insertum, cum nec auctoris certi nomen pre se ferat, nec ab illo sit Concilio projectum. Quia in re non dubitamus, quin eruditus lector nostrum sit consilium probaturus. Quod autem ad hanc Synodum attinet, scire debet lector, qua in ea promulgata sunt constitutiones, eas iam dictum cardinalem per omnem Germaniam mississe archiepiscopis, episcopis, archidiaconis & archipresbyteris, quos decanos rurales vocant, eisque seueriter mandasse, ut in Conciliis annis singulis celebrandis eas publicari & obseruari ficerent. Hoc eodem tempore venit magister Romanus ad partes Gallicanas a domino papa missus, ut ibi legationis officio fungeretur. Quo cum peruenisset, fecit conuocare regem Francorum cum archiepiscopis, episcopis, & clero Gallico ad Concilium cum comite Tolosano, pro quo specialiter ad partes illas missus fuerat, sicut sequens relatio declarabit. Conuenerunt igitur ad Bituricam ciuitatem ad Concilium, Lugdunensis, Rhemensis, Rothomagensis, Turonensis, Bituricensis, Anxianensis archiepiscopi: Burdigalen sis vero Roma fuit, & Narbonensis ecclesia vacabat. Conuenerunt igitur nouem prouinciarum suffraganei circiter centum, cum abbatibus & prioribus, & singulorum procuratoribus capitulorum, mandatum summi pontificis audituri. Sed quoniam Lugdunensis archiepiscopus vendicabat sibi primatiam super archiepiscopum Senensem, & Rothomagensis super Bituricensem, Anxianensem, Narbonensem, & eorum suffraganeos, timebatur de discordia, & ideo non fuit sessum quasi in Concilio, sed ut in consilio. Quibus sedentibus, & lectis in publico legationis literis, apparuerunt comes Tolosanus ex una parte, & Simon de Monteforti ex altera, qui petit sibi restitui terram Raimundi comitis Tolosani, quam dominus papa & rex Francorum Philippus sibi & patri suo contulerunt, exhibens supra donatione facta utriusque, pape scilicet & regis, munimenta. Addiditque comitem Raimundum abiudicatum fuisse Roma in Concilio generali propter heresim, qua dicitur heres Albigensium, ad minus a parte maiori terra quam nunc tenet. Econtra comes Raimundus obtulit se facturum erga regem Francorum & ecclesiam Romanam quidquid facere deberet pro hereditate sua. Tunc cum peteret pars aduersa ab eo ut subiret iudicium duodecim parium Gallia, respondit Raimundus: Recipiat res homagium meum, & paratus sum subire!

HONORIVS C. VVESTMONASTER. FRIDERICVS II. IMP.
P. III. HENRICVS III. R. ANGL. 273

ANNO CHRISTI
1125.

ire: quia forte non haberent me pro pari, si securus fieret. Cumque hinc inde
fuerit plurimum altercatum, precepit archiepiscopis singulis legatus cum
presentibus, ut conuocatis seorsum unusquisque suffraganeis, cum eis de-
liberarent super negotio prefato, et traducerent legato consilium suum red-
actum in scripto. Quo facto, legatus excommunicauit omnes qui super hoc
sua consilia renelarent, dicens se ea velle domino papa significare, et
Francorum regi ostendere.

Post haec subiungit, quod legatus expetuerit in singulis cathedralibus ecclesias duas præbendas Romanæ curiæ applicari: quodque procuratores capitulorum allegatae petitioni nequaquam conuenientem esse responderint, ob causas quas ille prolixè enarrat.

Hanc Synodus Coloniæ habitam nescio quo auctore refert Bzo-
uius in annalibus anno 1225. numero 4.

CONCILIVM

VVEST MONASTERIENSE, IN CAVSA ROMANI PONTIFICIS DVARVM præbendarum obuentiones suæ curiæ assignari peten- tis, celebratum in Anglia anno Domini M C C X X V I. tempore Honorii papæ III.

NOTA.

* Concilium.] Acta synodalia Matthæus Parisiensis summatim ita narrat: Stephanus Cantuariensis archiepiscopus vocatis ad Concilium cunctis apud Vvestmonasterium post pascha quos negotium tan-
gebat, recitari fecit literas supradictas de beneficiis Romana ecclesia con-
ferendis coram rege et pralatis Anglie, qui ad eius vocationem plene
conuenerant. Sed illis auditis ac diligenter intellectis, singuli singulos ad
visum monebant super concupiscentia Romanorum. Tunc rex conuocatis
seorsum prelatis et quibusdam magnatibus, hoc archiepiscopo dedit res-
ponsum: Ita, qua suadet nobis dominus papa, uniuersam Christianitatem
latitudinem respicunt, et quia nos quasi in extremis orbis confinii
sumus partibus, cum viderimus qualiter cetera regna erga tales se ha-
buerint exactiones, dominus papa, cum ab aliis regnis habuerimus exemplum, in obsequiis nos inueniet propriares. Et his dictis concessa est om-
nibus licentia recedendi.

VITA ET EPISTOLÆ GREGORII PAPÆ IX.

GREGORIVS IX. qui auctore Vrspergensi prius V-
golinus Ostiensis episcopus dicebatur, natione de
Anagnia, ex comitibus Signiæ oriundus, defuncto Hono-

Concil. Tom. 28.

Gregorius
IX. quando
pontifex fa-
ctus

Mm